



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA AD MARCELLUM

S. R. E. CARDINALEM MIMMI,

EPISCOPUM SARINENSEM ET MANDELENSEM

AC SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

A SECRETIS,

QUEM LEGATUM MITTIT

AD MARIALEM CONVENTUM IN URBE BONO AËRE

EX UTRIUSQUE AMERICAЕ NATIONIRUS AGENDUMLIBENTER MOX* *Venerabilis Frater Noster,*

salutem et Apostolicam Benedictionem Libenter mox futurum esse percepimus, ut in urbe Bono Aëre ex utriusque Americae nationibus Marialis ageretur Conventus. Cum autem hae celebrationes ibidem incenso fidei studio ac summa diligentia parentur, in spem haud fallacem venit auspicio fore, ut inde piorum fructuum copiosa maturescat ubertas. Tanta Congressioni ut congruens adderetur decus, a Dilecto Filio Nostro Cardinali Antonio Caggiano, sollertissimo Archiepiscopo Bonaërensi, id a Nobis postulatum est, ut e Purpuratorum Patrum Collegio aliquem mitteremus, qui Personam Nostram ibi gereret. His libenter concedentes optatis, te, Venerabilis Frater Noster, Legatum Nostrum deligimus et renuntiamus, qui Bonaërensi Mariali Conventui praesideas; nec dubitamus, cum tuas animi dotes noverimus, quin commisso tibi munere apte et perhonorifice fungaris. Sententiarum, quas animo concipimus, nuntius et interpres illic esto, atque eloquenti sapientia fae, ut spem, hortationes et vota Nostra proferas. Prae gravia sane et summi momenti sunt argumenta precibus, meditatione, actione vitae exsolvenda iis, qui in urbe Argentinae Nationis capite expectatum Conventum agent, ut religionis et publicae salutis nocumentis valide obsistatur. Hisce in dignis laude suscipiendis consiliis, haud dubie adiutrix erit salutaris opifera Servatoris Mater, quae perpetuo salutabitur incontaminatae cuiuslibet victoriae sequestra, fiduciae nostrae ratio tutissima. Qui autem pia Deiparae Virginis tutela confidunt, et cum ipsa volunt claros referre triumphos, probe necesse est, ipsius decorentur virtutibus et maternis dotibus utpote filii sinceræ indolis emineant. Nam ita hortatur illa suos, ut currant in odorem unguentorum suorum (cfr. *Cant.* I, 3): Ego mater pu. dehrae dilectionis et, timoris et a. gni. t. ionis et sanetae spei ... In me omnis spes vitae et virtutis (*Eccli.* XXIV, 24-25). Pax, qua tranquillitas ordinis continetur, civitatum summa probe existimatur felicitas, ad quam parandam omnes pro virili parte suam coniungere operam debent; atque inde sanctissima religio dum eam fovet et provehit, emolumentum excipit praecipuum. Nonne pax ab angelico concentu in divini Redemptoris ortu super bethlehemico specu resonuit? Nonne Christus Iesus abiturus a terris pacem, Evangelii vexillum, discipulis suis reliquit? Quam dulcis, exoptanda, beata est christiana, pax! At vero christianae humanitatis cultu digna pax, secundum Sacrarum Litterarum documenta, cum veritate, cum iustitia, cum caritate indissoluto nexu coniungitur; eaque, ut stet, vigeat, floreat, praecipue

poscit in Deum pietatem et in supernam voluntatem timoris plenam diligentiam, christianae legis executionem, morum integritatem, caritatis operum profectum, socialem iustitiam, salubria praecepta, inter operarum conductores et opifices aequas rationes, disciplinarum et artium omnium progressionem: et ad eam tuendam et fovendam Ecclesiae filii utpote sal terrae (*Matth.* 5, 13) navitatem nisusque suos conferre tenentur. Praeter alia ob id ad christianae socialis doctrinae principia exsolvenda est socialis quaestio, quae magnopere nec immerito, praesertim in America Australi, rei publicae studiosos sollicitos tenet, principia, inquam, quae dum aequo iure bona ordinant terrestria, celsioris naturae bona, ad animos, ad virtutes, ad aeternam vitam attinentia, non neglegunt, immo diligentius proponunt et extollunt. Quod si ita fiet, Immaculata Virgo Maria, potentia qua pollet, deprecatione, qua caelestia dona impetrat, radiante vultu, quo cuncta serenat, erit praesidium invictissimum, murus inexpugnabilis. Haec loquere et hortare, in Mariali amplissimo Conventu, cui ipse praeeris, amoris piena afferens vota, precibus Deo admotis confirmata, quibus festis istiusmodi celebrationibus et coetibus exitus salutaribus fructibus opimos percipimus. Haec denique ominati, tibi, Venerabilis Frater Noster, sacrorum Antistitibus, perhonorabilibus Rei publicae magistratibus, clero, christifidelibus illic interfuturis Apostolicam Benedictionem, ad magnitudinem propositorum ineundas actionis vitae incitamentum, amanti volentique animo impertimus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Octobris, anno MDCCCCLX, Pontificatus Nostri secundo.* **IOANNES PP.**

XXIII

*A.A.S., vol. LII (1960), n. 14, pp. 948-949.